

inauditam rationem affert, Sal Tartari Volatile reddendi. Spiritum Urinae foetore Tartari imbuit. Næ profecto Dn. Barnere. Te Minerva omnes artes edocuit, & Jupiter in consilium Deorum admisit, qui tam subtiliter excogitatum, & ex profundissimis Naturæ penetralibus haustum secretum possides. Oderunt vero, omnes artis periti Tuam in Arcanis revelandis prodigalitatem. Tibi, tuoque palato hoc serva secretum. Is crassæ ignorantiae poenam luat, qui præter Te unquam hujus generis sal Tartari volatile attulerit. O verò facetum, sed simplicem! Crede mihi Dn. Barnere satius tibi multo fuisset hæc & subsequutura plurima tacuisse, quia designatus Chemiæ Professor es. Quemadmodum enim nascentis diei aurora, futuram nobis Cœli tempestatem præfagire solet; ita quæstiunculæ hæc Tuæ leves ridiculæ, Professore profecto Chemicò indignæ, prædicunt futuris aliquando auditoribus tuis, quantum solidæ cognitionis Physicæ, ex te sibi promittere debeant.

ant.